



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Vigesimaſecvnda Post Trinitatis, Evangelivm Matthæi
Decimooctavo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

dit Regulus, expectans beneficiū promissum, nec
deterretur sua indignitate, ita nos credam9 uoci
Dei, et hac fide petamus et expectemus beneficia.

DE TERTIO.

Postquam agnouimus Deum, sequi debet
noua obedientia. & præcipue præstandus
est hic cultus, ut alios nostro testimonio inuite-
temus ad agnitionem Dei. Sicut hic regius suam
familiam inuitat ad fidem. Hic cultus præcipuus
est, iuxta illud. Quid retribuam Domino, pro
omnibus quæ retribuit mihi? Tibi sacrificabo
hostiam laudis. Item, Petrus, Estis uocati ad hanc
lucem, ut enarretis glorã Dei. Ergo qui agno-
uerunt ueram doctrinam, meminerint se debere
eam confiteri, & alijs impertire.

DOMINICA VIGESIMASE
CVNDA POST TRINITA-
TIS, EVANGELIUM MAT-
THÆI DECIMOOC-
TAVO.

Ideo assimilatum est regnum cœ-
lorū hoī regi, qui uoluit rationem
ponere cū seruis suis. Et cum cœpisset ra-
tionem

DOMI. VIGE. SECUNDA

tionem ponere, oblatuſ eſt ei unus, qui
debebat ei decem milia talentorum.
Cum autem non haberet unde redde-
ret, iuſſit eum dominuſ ei uenundari,
& uxorem ei, & filioſ, & omnia quæ
habebat, & reddi. Procidens autem ſer-
uſ ille, rogabat eum dicens: Patienti-
am habe in me, & omnia reddam tibi.
Miſertuſ autem dominuſ ſerui illiuſ, di-
miſit eum, & debitum remiſſit ei. Egreſ-
ſuſ autem ſeruſ ille, inuenit unum de
conſeruiſ ſuiſ, qui debebat ei centum
denarioſ. Et tenens eum, ſuffocabat
eum dicens: Redde quod debes. Et pro-
cidens conſeruſ ei, rogabat eum di-
cens: Patientiam habe in me, & omnia
reddam tibi. Ille autem noluit, ſed abiit
& miſit eum in carcerem, donec redderet
debitum. Videntes autem conſerui ei, quæ
ſiebant, contriſtati ſunt ualde, & uene-
runt & narrauerunt domino ſuo oia, quæ
facta fuerant. Tunc uocauit illum dñſ ſuſ,
& ait illi: Serue nequam, omne debitum re-
miſi tibi, quoniaſ rogavi me, nonne er-
go oportuit & te miſereri conſerui tui,
ſicut

sicut & ego misertus sum: Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet uniuersum debitum. Sic & Pater meus coelestis faciet uobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus uestris.

I. Differunt haec duo, ministerium publicum remittendi peccata, & priuata condonatio offensionum.

II. Ministerium est duplex. Annunciatio Euangelij de remissione manifestorum, & ignorantum delictorum. Et iurisdictio ecclesiastica, instituta de manifestis delictis, ut sit in Ecclesia correctio aliqua peccantium.

III. Discrimen ecclesiasticae gubernationis, & politicae.

IIII. Quomodo cum condonatione, priuata coniuncta esse possit defensio, & quando defensione utendum sit.

DE PRIMO.

Ministerium publicum remittendi peccata, est ipsum mandatum Christi traditum per Euangelium, ut in Ecclesia expresse annuncietur remissio peccatorum, singulis aut multis
 n credentibus.

DOMI. VICE. SECUNDA

credentibus. Iuxta illud, Quorū remiseritis peccata, remittentur eis. Hanc uocem non prædicabant leuitici sacerdotes, sed in genere concionari debebant, propter uenturum Messiam credendum esse remissionem peccatorum, ut Petrus inquit in Actis Cap. 2. Baptizetur unusquisque in nomine Iesu Christi, ad remissionem peccatorū. Et 2. Corinth. 5. Posuit in uobis sermonem reconciliationis. Et hic Matth. 18. Quoties remittam? Septuagies septies. Nam prior illa pars textus, non de priuata condonatione tantum, sed de ministerio loquitur, cum clarè prius dicat, Quidquid ligabitis supra terram, erit ligatum in caelo, & quidquid solueritis supra terrā, erit solutum in caelo. Estq; hæc sententia fideliter retinenda, q; illa pars de ministerio loquatur, per quod Deus remittit peccata. Nec tantū putemus esse ciuile præceptū de priuata condonatione, nihil pertinens ad remissionem diuinam, ut multi hunc textum deprauant.

Sed priuata condonatio est, non odisse cum, qui te offendit, nec uindictam expetere. Sicut Iacob fratrem Esau diligebat, quanquā magis iniurijs affectus erat. Huius uirtutis simulacrum aliquod etiam Ethnici norunt, quia necessaria est in
uita hæc

uita hæc mansuetudo, non omnes iniurias perse-
qui, sed multas publicæ tranquillitati condona-
re. Sicut Romæ publice cogebatur redire in gra-
tiam inimici, qui eosdem magistratus eodem tem-
pore gesturi erant. Et Attica ciuitas humanissimè
decretum fecit de ἀμνησία, id est, obliuione iniuri-
arū. Et Scipio dissimulabat iniurias Tribunorū.

Sed Ecclesia multo plures causas habet par-
cendi. Prima est, quia scit Deū præcipere de hæc
condonatione, & quidem adeo seuerè, ut dictum *Mat. 6.*
sit, Si non remiseritis, non remittet uobis pater
coelestis. Secūda, quia uindicta est honos Deo con-
petens, iuxta illud, *Deut. 32.* Mihi uindictam, & ego retri-
buam. Vult igitur Deus nos omittere priuatam
uindictam. Tertia, quia nos agnoscere debemus,
nos quoque habere peccata digna pœnis. & cum
nobis parci uelimus, sic simus affecti erga alios,
iuxta illud, *Matt. 7.* Quod tibi uis fieri, alteri feceris. Sic
Dauid pepercit maledico Simei, addēs ualde me-
morabile dictū, Reddet mihi Dominus bonū pro
his maledictis. Significat enim hanc patientiam
Deo gratam esse, & Deo curæ esse, ut rursus or-
nemur, etiā cū iniuste deformati sumus. Quarta
causa est, quia uult nos Deus parcere cōmuni trā-
quillitati Ecclesie, quæ turbatur, cū alūtur certis

DOMI. VICE. SECVNDA

Quinta, interturbatur precatio crescētibus odijs in uindicta. Sexta, impediuntur alia negocia magis necessaria. Has causas diligenter consideremus, & nos ad hanc uirtutē, uidelicet ad mansuetudinē assuefaciamus, nec indulgeamus odijs, & cupiditatibus uindictę.

DE SECVNDO.

Dvplex est ministerium. Quoddam est annuntiatio Euangelij, qua nota & ignota peccata remittuntur. De hoc ministerio proprie dictum est, Quorum remisseris peccata, remittentur eis. Item, Ite, predicare pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo. Deniq; hæc est propria uox Euangelij, per quam Deus credentibus ignoscit, administrata, seu multis, seu singulis, ut in priuata absolutione. Alia res est iurisdictio, quę pronunciat de manifestis delictis. Voluit enim Christus in Ecclesia sua correctionem esse publicam peccantium. Quia uero Ecclesia non est politia similis mundanis, hoc est, ministri Euangelij non gerunt gladiū, Christus instituit talem correctionem, quę non tam querit pœnam, quàm sanare studet. Iubet primum admoneri lapsum, ut ultro redeat in uiam.

Si redit,

Nervus belli pœnia est, *Disordalium d. ob. hinc
gob, ist. golt.*

POST TRINITATIS. 109

Si redit, iubet eum recipi, sicut dictum est, septua-
gies septies, quia Christus scit multo plures esse
lapsus, quam nos existimamus. Sin autem non re-
dit, iubet eum eijci ex Ecclesia, id est, feriri com-
minatione diuinæ iræ. Hic est nervus discipline, *Metaphorice
pro Robore*
quem Christus in Ecclesia constituit, & uult ser-
uari, sicut et Apostoli, et deinde pij Episcopi ex-
communicationem hoc modo executi sunt. Con-
rinthij excommunicant incestum, & Paulus ma-
quit, traditum esse Satanz, ut corpus eius excru-
ciet. Aliqua enim corporis uexatio incestum il-
lum inuasit, ut Stiliconis scriba, quem excommu-
nicauit Ambrosius, furore correptus est, quia ue-
ra excommunicatio non est inane fulmen, sed iu-
dicio Dei sequuntur corporales pœne & cala-
mitates, ut in Genesi scriptum est: *Gen: 27.*
Maledicam maledicentibus tibi.

DE TERTIO.

Ingens discrimen est inter gubernationem ec-
clesiasticam, & politicam, quod semper in
conspetu nobis esse debet, nam *confusio* magnas
tenebras affert. Quid sit gubernatio politica,
facile intelligit ac iudicat humana ratio, quia
Deus indidit humane menti leges, iuxta quas
Simul gobu n 3 *constituens*

*Item, Indere nome
In uisum gobu, criffly.*

· DOMI. VICE. SECUNDA

constituendæ sunt politiæ. Est igitur politica gubernatio mandatū diuinum per certos magistratus custodiendæ externæ disciplinæ, & retinendæ pacis, & puniendi contumaces pœnis corporalibus, seu gladio. Magnum & mirandū Dei opus est, q̄ nō solū nostris mentibus indidit leges, quibus regenda sunt imperia, sed q̄ etiam et ipse singulari modo constituit, & transfert, sicut in Daniele dicitur, & præcipuè eam partē curat, quæ præbet hospitium ecclesijs, nam ad hūc finem constituit principaliter imperia, ut sint hospitia Ecclesiæ. Sicut autem coniugio multi abutūtur, sic multi reges & principes abutuntur imperijs, faciūt iniustas cædes, rapiūt facultates subditorū, sine modo indulgēt libidinibus. Cū ita grassantur in imperijs gubernatores, Deus eos excutit, et regna transfert. Nam hæ semper fuerunt causæ mutationū. Cyrus puniuit Astyagen, qui filium uescendum Harpago præbuerat. Persarū seuitiā puniuit Alexander. deinde petulantia Græcorū Romani punierūt. Romanæ nobilitatis tyrannides Iulius puniuit. Postea crebræ mutatiōes factæ sunt. Et imperia ad extremum plus confusionis habitura sunt. Ac iusta imperia sunt beneficia Dei. Tyrannides uero admixta permittuntur ad tempus

POST TRINITATIS. 110

ad tempus, ut sint poenae scelerum mundi, sicut pestilentiae, aut incendia fortuita. Ideo dicit Salomon, Propter peccata populi multi sunt principes, id est, crebrae mutationes impiorum fiunt, nec fiunt mutationes sine magnis cladibus, ut ostendunt quotidiana exempla. Et Ecclesi. 10. dicitur, Regnum a gente in gentem transferitur, propter iniurias. Contra Salomon dicit, Iusticia stabilitur thronus.

Haec cogitanda sunt de imperijs, ut sciamus homines non casu consociatos esse, sed hunc politum cum ordinem esse Dei opus, et discernendam esse rem a personis. lacerari ordinem furoribus hominum, & a Deo puniri dilacerationes, et aliqua hospitia ecclesijs seruari, alijs magis, alijs minus tranquilla. Illa igitur imperia, quae sunt hospitia ecclesiae, fideliter Deo commendemus, nam in his quoque oriuntur multae saevae tempestates. Ideo Paulus pro his precari iubet 1. Tim. 2. et finem ostendit, ut habeatis tranquillitatem cum pietate. Iubet expeti pacem, non ut pace ad luxum abutamur, sed ut seruiat educationi tuendae disciplinae, pijs studijs. Sic Psalmus docet orare. Fiat pax in uirtute tua, et ponitur inter praemia pietatis flores respub. ut in Psa. dicitur, ut uideas bona Ierusalim omnibus diebus uitae tuae. Et Esa. 33. Videbunt regem in

DOMI. VICE. SECUNDA

decore suo, id est, pij uidebunt florentem statum reipub.

Quid est autem ecclesiastica gubernatio? Est mandatum Dei, quod præcipit docere Euangelium, uocare ministros Euangelij, administrare sacramenta, punire contumaces excommunicatione sine ui corporali. Hæc gubernatio prudenter discernenda est à politica, & fines considerandi sunt. Hæc regit non tantum externos mores, sed docet corde inuocare Deum, & æterna bona impertit pijs, etiam cū uitā & imperia amittūt. Sicut Dauid, quanq̄ excussus erat regno, tamen sciebat se à Deo petere debere remissionem peccatorum, & expectare auxiliū in presentibus ærumnis. Ita nunc sentiamus, cum opprimuntur pij à Turcis, non propterea deficiant à Deo, q̄ politias amiserunt. Sciamus aliud esse regnum cœlestē ministerium uerbi, puniri nos agnoscamus ereptis commodis corporum, & nos uerbo Dei in his ærumnis sustentemus. Hic discamus Euangelium esse ministerium spiritus, id est, non externam politiam, sed consolationem mentis, que æterna bona impertit. Vt Daniel, Manasses, non amiserunt ministerium spiritus, etiam cum regno expulsi erant. Hæc admonitio necessaria est propa

POST TRINITATIS. III

est propter eos, qui tantum florentes politias imaginantur populum Dei esse, sicut Turci. & de doctrina iudicant ex fortuna politiarum, quod non est faciendum.

DE QVARTO.

Dixi aliud esse ministerium remissionis peccatorum, aliud priuatam condonationem. Ministerium concionatur de diuina uoluntate. Priuata condonatio de tua uoluntate erga alterum testificatur, uidelicet, te remittere alteri, & non expetere uindictam, ac rursus, te uera beneuolentia complecti eum propter Deum, Ut Dauid condonabat Sauli, Iacob fratri Esau. Hoc officium Deus requirit in Ecclesia propter causas, quas supra recensui, & habet premia sicut alia bona opera, iuxta illud, Remittite, & remittetur uobis, scilicet mitigatione poenarum. Sed hic queritur de magistratu, & de priuata defensione. Magistratus mandato diuino cogitur punire scelera. Primum propter iusticiam, quia iusticia Dei uult tolli sceleratos. Secundo ad tuendos innocentes. Tertio exempli causa. Et uult Deus magistratum in hoc suo munere non esse ignauium & negligentem. Vult disciplinam &

pacem

DOMI. VICE. SECUNDA

pacem seuerè defendi, ut Lex inquit, Non parces ei, sed tolles malum de terra. Ideoq; cū magistratus polluit se societate scelerum, hoc est, cum est negligens in puniendo, totæ gentes delentur. Nō igitur misceantur sententiæ de remissione priuata, muner i magistratus, sicut miscuit Iulianus, & derisit Euangeliū, quasi hæc dicta de remissione tollant defensionem pacis, & nervos ciuilis societatis. Et Anabaptistæ diu talia deliria sparserūt. Sed tenenda est regula. in Euangelio uerè cōprobari magistratum, & leges politicas cū ratione congruentes, ut constat ex 13. cap. ad Romanos.

Quod autem queritur de defensione. pij diligenter monendi sunt, magnū discriminē esse defensionis, et priuatae uindictæ. Vt si quis iniustam litem tibi moueat de agro, iustum est uti legitima defensione, hoc est, auxilio magistratus, quo res tuas retineas, sed non accedat odiū, & cupiditas nocendi aduersario. Sic de conuitijs, iustū est respōdere defensionis causa. ut Christus respōdet, Nō habeo demonium. Sed non accedat adium, et rabies atrociora faciendi cōtra aduersariū. Hoc discrimen defensionis, & uindictæ priuatae, prudenter considerandum est. Nam mundus flagitio se commiscet. Postquam lis mota est, non sumus contenti

contenti legitima defensione, sed accēdimur odijs
 & cupiditate nocendi, & tentamus atrocias, non
 ut nos tueamur, sed ut noceamus aduersario, imo
 ut eum deleamus. Et ex paucorū certamine inter
 dum magni motus, magnæ dissipationes, & bella
 ciuilia oriuntur. Vt ex Pompei & Caesaris emu-
 latione exarsit bellum ciuile.

Sed pij discernant hæc duo, de fensionem, &
 uindictā priuatam, & intra metas in Euangelio
 propositas se contineant. Defendere est, famam,
 uitam, res, retinere certo ordine, sine cupiditate
 nocēdi alteri. Vindicta est cupiditas nocendi in
 animo irritato. Si quis tibi uitam aut res iniuste
 eripere conatur, implorare auxiliū magistratus
 iustū est. sicut Paulus prouocat ad Cæsarem. sed
 nō addas & cupiditatem nocendi. Si conuitia dia-
 cuntur, cōsidera quando necessaria sit refutatio,
 quando non sit necessaria. Tunc est necessaria
 refutatio, cum Euangelium contumēlia afficitur,
 aut cum inurunt notas scandali, quæ deformant
 Ecclesiam, aut cū nocent paci, uel amicorū con-
 cordiæ. Sicut Athanasius refutauit obiecta crimi-
 na magiæ & machinationū contra imperatorē.
 In talibus defensio necessaria est, iuxta illud, Bo-
 na conscientia nobis opus est nostra causa, bona
 fama

DOMI. VICE. SECUNDA.

fama propter proximum. Et talis defensio congruit cum hoc dicto, *Benedicite maledicentibus.* Nam refutans est sine cupiditate nocendi, & benedicit, id est, uel docet aduersarios, uel etiam pro aliquibus orat, & tamen interim cogitur conuictum aliorum causa, tanquam excitatum incendiū, restinguere.

Sed alia multa sunt conuicta, ut inscitia, ignobilitatis, stoliditatis, & similia, quæ nec laudant Euangelium, nec scandali notas inurunt, nec nocent paci. Hæc non necesse est refutari. Sed plerumque ex arrogantia aut superbia oritur refutatio, iuxta illud, *Qui uelit ingenio cedere, nullus erit.* Et contentio paulatim crescens, auget dissidia, quæ cum latius uagantur, sæpè totas respub. euertunt. Hoc periculum pij intelligant, & reprimant iracundiam, & aliquas iniurias prorsus dissimulent, ac condonent publicæ tranquillitati, neq; de omnibus paruis & magnis rebus pugnandum esse existiment. Nam in paruis defensione nihil opus est. Sed sciant hanc moderationem Deo placere, & necessariam esse communi tranquillitati, Imo necessariam in præcationibus, uidelicet frenare cupiditatem uindictæ, & quasdam iniurias prorsus dissimulare. Sicut Ecclesiasti.

POST TRINITATIS 113

Ecclesiasti. 28. multæ sententiæ docent. Abstînēs à lite, peccata minuet. Ideo autem toties in ueteri & nouo testamento hæc præcepta repetita sunt. quia in omni gubernatione maximos motus excitat cupiditas uindictæ, Vt in uersu etiam dictū est, Nam cætera regna, Luxuries uitij, odijsq; superbia uertit.

DOMINICA VICESIMA
TERTIA POST TRINI-
TATIS, EVANGELIUM
MATTHÆI XXII.

TVnc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cū Herodianis, dicentes, Magister, scimus quia uerax es, & uiam Dei in ueritate doces, & non est tibi cura de aliquo. non enim respicis personam hominū. Dic ergo nobis, quid tibi uideatur, Licet census dare Cæsari, an nō? Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait, Quid me tentatis Hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait